



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Rationis Latomianæ pro Incendiariis Louaniensis Scholæ
Sophistis redditæ, Lutheriana Confutatio**

Luther, Martin

Vuittembergæ, 1521

VD16 L 5765

Ad Praefacionem Latomi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36803

AD PRAEFACIONEM LATOMI.

Hoc vere Lato-
mi scriptum
probat Vlen-
bergius in Vita
Lutheri.

Ergo iam a
1510 medi-
tatus est
haeresin.

Maledicentia
Lutheri
epitome.

Verum e-
hoc Latomi
dictum, et ipse
Lutherus
verum esse
probat suis
hic scripto

Primū criminatur Latomus, me verbotenus mea
submisisse Papæ ab initio, hoc quidem pro sophistica
fiducia fingit. Ego vero doleo, me tam serio submisisse.
Ex animo enim nihil aliud tum sensi de Papa, Conci-
liis, Vniuersitatibus, quā quod vulgo audiunt, quā
quā enim multa mihi eorū absurda viderent & a Chris-
to alienissima, infrenavi tamen cogitationes meas, vl-
tra decennium illo Salomonis. Ne innitaris prudentiæ
tuæ, semper arbitratus in Academiis latere theologos, q-
si impia hæc essent, nō silerent, tum vix alibi minus pu-
tabam esse tam crassos stipites & asinos, nunc autem &
malos, quā Louanii. Creuit autē intra causam, vt rerū
cognitio, ita & animus, cū illi suā incitiam & nequitia,
in hoc signum contradictionis offendentes, egregie pro-
derent. Quas nisi tam immani copia reuelassent, & si-
mulare ultra potuissent, certe me stultū in finem vsq; de-
mentassent. Gratias autē ago domino meo Iesu Christo
qui pro hac tentatione, me centuplo temporali huius
scientiæ honorauit, vt iam persuasissimus sim, Papam
esse portentū illud vltimum omnibus scripturis prædis-
ctum Antichristum. Vniuersitates vero Synagogas Sy-
nagogarū Satanæ, in quibus Sophistotheologi, Epicu-
rei illi porci suum regnum regnant.

Longe me abesse a modestia Evangelica dicit, quā do-
ceo, præsertim in eo libro, quo illis ipsis Louaniē S-
ophistis respōdi, cū mea doctrinaliter damnassent. At

nunquā exegi, vt me quis modestum aut sanctū haberet, sed vt Euangeliū omnes agnoscerent, data licentia in meā vitam grassandi cuiusuis libidini. Hoc tamē gloriatur conscientia mea, nullius vitā aut famam esse a me læsam, solum dogmata, studia & ingenia in verbū dei impia & sacrilega, acerbius insectatus sum. In quo, vt non deprecor culpam, ita non sum sine exemplo. Iohānes baptista & post eum Christus vocat phariseos, genimina viperarū, immodestissimo & atrocissimo male dicto, in tam doctos, sanctos, potentes & honoratos viros, vt eum rursus, demoniū habere dixerint ipsi. Si hic Latomus iudex fuisset, obsecro quæ sententia illos mansisset? Alibi Christus, cæcos, mendaces, prauos, filios diaboli vocat, Paulus vero (deus bone) quā est ab euāgelica modestia remotus, dum anathema facit, Magistros Galatarū magnos, vt arbitror, viros, alios canes, vaniloquos, deceptores, tum Elymam magū, filiū diaboli, plenū omni dolo & fallacia criminat in faciem. Nec puto fas esse Sophistis, vt animū meum iudicent, cum opus meū ab Apostolis Christo & prophetis dissentire non videant, sed modestia Euangelica, nostro seculo, præceptoribus Latomis ea est, quando impiis & sacrilegis tum pontificibus, tum sophistis, genu flexo dicimus Gratiosè domine. Gratia vestra benefacit, Magister noster eximie vestra excellentia bene dicit. At si eos dixeris id quod sunt, indoctos, stupidos, impios, sacrilegos in verbum dei, cum inæstimabili pietatis & animarum iactura, tum vniuersum Euangelium læseris,

*Mendacium
palpatibile
vide præced
pagina. que
conuincit quod
mendacium*

*blasphemia
Lutheri*

Cæterum, si his palpatis, omnes mortales vel occide-
ris & orbem subuerteris, non fueris immodestus. Quã-
do enim Latomus Papam criminaretur immodestiae,
tot bellis & malis artibus insanientem: scilicet adeo pen-
det Evangelica modestia & immodestia in solis pontifi-
cibus idolis, & sophistis idiotis venerandis. Deniq; bul-
lam istã sanguinariam, & cuius crudelitã, nemo pius
non execratur, etiã si recte damnaret, Modestus ille &
modestiae tum exactor tum laudator Latomus, non so-
lum non criminatur, sed laudat, iactat, confidit, gloriãt
in ea. Isti sunt viri illi sanguinũ & dolosi, qui modestiã
verbis & vultu simulant, interim, non nisi cedes, minas
& sanguinẽ spirant. Nemo mihi eũ virum integrum &
modestũ esse persuadebit, cui ista bulla placere potest.
Malo ego apertus esse & neminẽ blandicia fallere. Hoc
possum testari, Cortex meus esse potest durior, sed nu-
cleus meus mollis & dulcis est. Nemini enim male volo
sed omnibus opto meũ quã optime consultũ. Porro du-
ricia mea vt nemini nocet, ita neminẽ fallit, q me vitat,
nihil a me pacietur, qui me fert, lucro augetur. Salomon
dicit Prouerb. xxviii. Qui corripit hominẽ, postea gra-
tus erit, præ illo, qui blandus est lingua.

Deinde in meũ crimen augendũ inducit senem quen-
dam de Ro. Episcopo reprehendendo disputantem, qui
sibi visus sit sapiens. Nam sententia propria est, neq; ta-
cendũ neq; loquendũ penitus, modum vero huius, su-
pra suũ captũ esse. Nec mirũ, referenda fuit gratia tantã

auditorum

A D V E R S V S L A T O M V M.

bullæ, pro qua etiã ea ignoranda sunt, quæ pueri sciunt, rursum scienda, quæ vel angeli ignorant. Nã Latomus Magister Theologiæ, diuina hoc titulo scire sese professus, quæ & hoc libro defendit, vt callentissimus eorũ, adhuc ignorat humana ista quottidiano vsu præsentia miser, nec quid periclitantibus animabus consulendũ sit nouit, interim tamen certus, qd agant animæ in purgatorio, tum remotæ a sensu, tum nihil de earum statu testantibus scripturis, cũ velint omnia Papæ & sua in scripturis contineri abunde. Sed sinamus quæso sophistas mores suos implere, neq; enim eos, præter hypocrisin & adulationẽ & mendaciũ, quicquã recte decet. Videamus sapientẽ visum sibi senem, qui tres modos præscribit, Primus, vt principes & cõmunitates, desinant postulare iniusta, & quæ vltro oblata forent refutanda, tum ipsi primũ incipiamus carere, quæ in Papa reprehendimus, cũ insolens sit vitium in principe non ferre, quo ipse laboras. Alter modus est oratio. Tercius tolerantia. Hæc ille sapiens.

Primus ergo est modus optatiuus, scilicet cogitatio quæ dã vt cogitemus, exẽpli gratia, Si asinus volaret, asinus haberet pennas, ita cogitemus, si nemo postularet indigna, Papa fieret melior. Cur autẽ non etiã sic cogitamus, Si Papa seipsum emendaret, tum nemo postulare aude-
ret indigna? Sed quid fiet in his, vbi Papa (quod plurimũ facit) non postulatus, sed proprio furore insanit? tum quod omniũ maximũ est, Euangeliũ non curat, &

B

*Calumnia
Lutheri
circa purga-
torium*

nullum Pontificis officiū facit. i. Timot. iiii. descriptum?
 an sufficit hic cogitare si nemo indigna postularet? Iam
 nonne per totū orbem ita cogitamus, non modo quod
 sapiens dicit, sed id quoque quod ego adieci? Quis. n. nō
 ea optat? At quid potest amplius? Quis em̄ excepta dei
 virtute (quā in secūdo modo per orationē quæri docet)
 principes & cōmunitates teneat? nec hoc consulit ut quis
 tentet, scilicet principū & populorū culpa est, Papā esse
 malum. Quin cogitemus, si diabolus eum desinat equi-
 tare fieret bonus, & in diabolū torqueamus, quod Papa
 malus est. Hoc consilio posses uti & pro te & cogitare,
 utinā hic & futuro beatus sim, iste enim esset optimus
 modus perueniendi in cœlum. Igitur primū consilium
 huius sapientis, mundus excedit etiā. Iam pro quo ma-
 gis oratur ubique quā pro Papa? Itē cuius tyrannis tole-
 ratur æquabilius quā Papæ? Vbi est ergo consiliū istius
 tam sapientis? Quā pulchrū idolum nobis e Papa facit
 tam sapiens vir, ut oues primo incipiant sese pascere, &
 populus viā ipse dirigere, & pastori pascua & duci vesti-
 gia parare. Sed vide quid ei cū Latomo quoque suo poe-
 tæ cōueniat. Latomo nō omnino tacendū videt̄ sapienti
 suo omnino tacendū videtur. Velim hic scire vter men-
 ciat̄, Poeta vel poema? Aut em̄ Latomus mentitur eum
 sibi sapientē videri, aut mentit̄, sibi non omnino tacen-
 dū videri. Sed nec ipse sapiens sibi constat qui tacendū
 suadeat, & tamen e Papa prostibulum facit, dicens eum
 largiri iniusta & refutanda, quæ vltro offeruntur.

Quā scite dixit Hilarius, difficilem fore causam veritatis tueri aduersus impios, si tantū consuleret prudentia, quantū audet impietas. Sed perge, mysteria sanctæ huius adulationis videamus. Ferendum (inquit) principis vitiū, quo tu laboras. Vt ergo omnes taceant (nam generale est silendi mandatū, huius Latomiensis sapientis) oīnes eodē vitio laborabunt vel inuiti. Aut certe illis permittet̄ correptio, qui non laborant eodē vitio, quos cur tacere igitur iubet? Ego ex animo faueo tam aptam & consultā gratitudinem, Bullæ isti cōprobratrici. Sed cū in Lutherum proprie ista scena nimirū ingeniosa instructa sit. Velim doceri, quod illud vitium eius sit cum Papa principe cōmune? An vniuersa lerna Romanorū scelerum me reum aget? Sed quaero, cū prædicare Euangeliū oporteat eum qui vocatus sit, omni creaturæ, an Papa sit creatura? Cur ergo non licet ei veritatem palā & libere dicere? Sed satis hæc, Dignam habet ista adulatio mercedem tam stultæ stultitiæ. Quare sapienti isto septies stulto & sacrilego, dimisso, nos erudiamur sicut oportet liberi Euangelii liberos confessores erudiri, & hoc sapiamus ac faciamus.

Quo maior est princeps, præsertim Ecclesiasticus, hoc minus ferāt, sed omniū acerrime arguant̄ eius vicia, nō .n. decet verbū dei esse alligatū propter hominē, nec nouit personarū respectū. Sic psal. c. xviii. Et loquebar de testimoniis tuis in cōspectu regum, & nō cōfundebar. Et psal. ii. q̄s arguit dicēs, Et nūc reges intelligite, erudimini

qui iudicatis terrā. Exempla sunt omnes prophetæ, qui de vulgo assumpti, reges, sacerdotes, prophetas potissimū arguebant. Christus in Euāgelio quos carpit: Num vulgum? nonne magnates solos? Quæ est ergo pestilens adu'atio Latomi, quæ hæc exempla nobis obscurare nitit, & ea se ignorare mentitur, quæ pueri sciunt? At Christus erat deus, verum, sed exinanitus est, forma serui accepta, nō arguebat vt deus, omnibus prædicatoribus exemplū factus, vt vulgo parcerent, principibus nō parcerent, quod vulgi calamitas e principū pendeat culpa. An ideo silendū, quod ira dei, mali præsent, vt Latomus adulatur? qui Christo aduersarius, parcendū principi, vulgo non parcendū censet, videlicet optimus rerū æstimator, qui vitia nō meritis sed personis metitur, & vitia principū, vulgi culpā facit. Nō. n. vitia, qa vitia, sed quia in magnis personis vel paruis sunt arguenda vel tacenda docet. Quid isti hostes crucis volunt nisi vt ociosum sit scādalu crucis? sciētes, vulgū sine periculo argui, principes vero non sine præsent malo tangi. At ii sunt mercennarii, canes muti, nescientes latrare, qui vident lupū venientem, & fugiunt, aut lupo sese sociant potius. Nō ita Christus, cuius cornua hærent in vepribus, descensus eius tangit montes & fumigant, gurgustium eius caput Behemoth cōprehendit, qui intrat in gyrū dentium eius formidabilem, qui perforat armilla, maxillā eius, & cū Sansone occidit leones. Breuiter, vniuersa scriptura testatur, quod vox domini cōfringat cedros, montes

Israhel, quercus Basan, turres altas, & non nisi ea quæ magna sunt inuadit, vt apparet etiã cuius puero, quæ tamen excedunt captũ Magistri in Israel.

Debetur reuerentiã altitudini, fateor, sed citra diuini verbi iniuriã, quod est, ipsemet deus, cui oportet magis obedire quã hominibus. Quod si cuiuspiã Magistratus viciũ ferendum, prophani non Ecclesiastici ferendũ est, non solum ideo, quod Ecclesiasticus ex deo nõ sit sicut prophanus. Deus em̄ nescit hoc vulgus pontificũ quod hodie regnat, cũ solos Euangelistas & verbi ministros ordinarit in Ecclesia, sed nec per homines cõstituti sunt, imo seiplos erexerunt inuitis deo & hominibus, similes Gigantibus ante diluuiũ, Sed ideo etiã ferendum non est, quod prophani magistratus vitiũ nulli sit periculo animarũ. Episcopus vero verbi negligens, etiam si sanctus esset, lupus & Satanæ Apostolus est. Nihil differt a lupo, qui pro ouibus non vigilat contra lupũ. At cum sciamus diabolũ non dormire, Episcopis dormientibus palpamus, imo diabolo cooperãtes tuemur, eosq; occidimus & damnãmus, qui eos excitant & officii sui admonēt. Quis rogo furor vltior isto? Maledictus itaq; sit ter, qui hic opus domini fraudulenter facit, & Papam lupo infernali colludentẽ & conniuentẽ palpat, nec miseretur tot fratrũ suorũ misere pereuntibus animabus Christi sanguine emptis. Si nihil aliud scripsisset Latomus, hoc vno tartarico consilio, satis ostendit sese spiritu Satanæ plenũ esse. Quomodo spes est, istos Sophistas

scripturas legere, intelligere, docere pio studio? Quomodo pronuncient de doctrina Christiana? denique quid salutare ab eis expectes, quibus hoc consilium sapiens videtur, quod non constat nisi verbis ipsiusmet Satanæ? quæ rem Ecclesiæ, vitia pastorum, salutem animarum tam leuiter pendit, ac si esset solum culpa quædam tyrannidis prophanæ, corpora aut substantias perdentis. Ego plane metuo miser valde, ne in Papam & Pontifices diaboli collusores & socios nimio fuerim & parcus & modestus, nec ipse satis perpenderim milia illa animarum, quas perdit sine fine Antichristus iste, cum pontificibus & sophistis suis, pestibus illis omnium ultimis orbis terrarum.

At timetur seditio, & illi non fiunt meliores, ait Lato. Quam Iudaica vox, nam & illi metuebant, ne Christus seditionem faceret, nec vel pilo fiebant meliores, imo fiebant peiores, ergo Christo fuit tacendum? Et quis tibi dixit, non fieri illos meliores? Est ne Theologica definitio? illi non audient, ergo tu tacebis? Seditio, qua corpora vastant, timetur, at seditio quæ vastat animas defenditur, sic prudens vir ille timet vbi timendum est, vt corporalem pacem præferat salutem æternam animarum. Quis hunc obnoxium seruum, adulatorum omnium pestilentissimis consiliis perditum digne queat detestari? Hi sunt quos merito Papa comprobet, hi sunt, quorum iudicio libri damnandi & exurendi sunt. Nunquam minus est metuenda seditio, quam dum verbum dei docetur. Deus enim, qui deus pacis est, tum præsens est. Quod si idola

A D V E R S V S L A T O M V M .

Pontifices audire contempserint, & pergant, tyrannidē augere, prohibendo, damnando, exurendo, obrueritq; eos tum vel seditio vel calamitas, ridendū & subsannandū est cū sapientia Prouerb. i. Culpa tum non est verbi dicti, sed impietatis nō audientis increpationes & correptiones sapientiæ, vt ibidē dicit. Ne autē cauilletur Latomus sese nō de Euangelio sed de reprehensione loqui, scimus q; Christus Euangeliū ipse nō potuit docere, nisi reprehenderet. Et sapiētia dicit suas correptiones exosas habitas. Sal terræ est, mordet vt purget, arguit vt sanet, increpat vt saluet, occidit vt viuificet. Qui secus docet, non Euangelium sed suas adulationes blatterat.

Veniamus ad aliud caput, honestaturus Louaniensem insaniā, non vult me leuari suspitione hærescos, pretextu disputationis. Quod de iis, quæ propheticis & euangelicis literis definita sunt, disputandū nō sit, vt Leonis Ro. Episcopi verba sonant, quæ locuplete adducit. Deinde meū disputandi genus non scholasticum sed hæreticū esse, quod impugnandæ nō quærēdæ veritatis gratia suscepissem. Vt hic scias Latomū sua fingere, iterum dico, ab initio me disputasse ex animo, antequā scirem Magistros nostros, idiotas & porcos esse, postea, n. (vt ipsimet fatent) me nō disputare dixi, adeo vt & ad ignē me obtulerim. Nunq̃ fuit ista in me simulatio, vt disputare prætexerem, quod affirmare statuissem, vt mentitur hic vir honestus. Sed finge, me maligno animo videri voluisse disputantem, qua autoritate non licuisset;

Leonis istius? Quis dedit Leoni auctoritatem prohibendi? An Latomi fides & Sophistarum oscitantia? Christus, age, nunquā respondit Iudæis maligne eū tentantibus? plus valet Leonis verbū quā Christi exemplum? perpetua est ista & indomita sophistarū insania, iactare verba hominū & occulere verba dei. Sed illud festiuus Leo tantū hoc agit, ne aduersarii disputent, non prohibet respondere. Latomus huc trahit, ne sit opus respondere aduersario, atq; hoc est consiliū prudentissimū Louaniē. scholæ, quo procederent contra Lutherum. Si Turca nos aggrediatur bello, quod ei prorsus nō licet, nec velit cohiberi, mittemus Louanienses Theologos ad eū legatos, qui dicant ei. Non licet tibi pugnare alioqui te damnabimus, tum sinamus eum grassari, & gloriemur nos esse victores. Proinde nō est iam Pauli consiliū & præceptū necessarium, vt Episcopi amplectantur sanā pietatis doctrinam, vt possint contradicentes redarguere & os eorum oppilare, sed sufficit illos non debere disputare, & securi sint idiotæ & idola. Quin positis orationibus & vniuersis armis spiritus, desinamus diabolo quoq; resistere, denunciante ei, Non licet tibi Ecclesiam infestare. Quod reuera & facimus. Hæc est fides Latomiana, qua patrum dicta tractat.

Quæ vero est præsumptio & arrogancia tā modesti viri, vt sua prophetica & Euangelica tam impudenter affirmet? Nam Leonis verba, de prophetis & Euangelicis sonant. Prophetæ ergo & Euangelistæ fuerunt Lo

sed nō eos, quos nondū probaueris esse erroneos, vt arrogantia prophetarū nouorum insanit. Nam & ego libros Papenses exussi, vt viderent Magistri nostri, non esse artis neq; ingenii, papyrū exurere, quod lixæ nostri & pincernæ etiā possunt. Ignis (aiunt) nō soluit argumenta. Illi in Actis. xvii. nō exusserunt libros, donec cognita veritate, scirent eos esse curiosos. Magistri nostri id quod leuius erat secuti sunt, sed quod laboris & officii fuit, cordibus fideiū reliquerunt, quia stat sententia, Louanicē non errant. Deniq; male me habet, q; Maximilianus, quo tempore Iudæorum libros vexabant Sophistæ, non verterit consiliū eorum super caput eorum, & ablati omnibus, erucis, brucis, locustis, ranis, pediculis sophisticis, ad solam & purā scripturam adegerit. Hoc enim erat multo saluberrimū consiliū longe magis necessarium, quā quod de Iudæorū libris iactabat, tam delyris, tā stultis articulis causam fatigantibus, vt me vehementer puduerit, Christianismi nomine, tātas tragedias moueri apud nos, ob istas res nihili a prophetis & senioribus nostris. Sed nō merebamur tūc meliorē gratiā quā nūc speramus prope diem donandā nobis. Interim placet vehemenenter, Papā probasse iudiciū quinq; vniuersitatū in ea causa. Quid poterat sese dignius facere sedes illa inclyta & gloriosa, aduersaria vltima Christi?

Quid sit quod dicit, in ea propositione ab eis dānata, Sancti nō vixerunt absq; peccato, se nō damnaſſe antecedens, sed cōsequens malæ consequentiæ, seq; mirari,

quod orbis iudiciū nō metuerimus eos, ob hāc damna-
tā insectantes, non intelligo plane. Exigit forte vt orbis
prediūinaret eorū dialecticā occultā, qua & in libro vti
vti videbimus, fortasse & ibi ista explicabit. Interim ex-
ultationē & ouationē subsanno, quod gloriat̄, se addux-
isse patres mihi aduersantes, nō raro sed frequenter, nō
obiter sed ex animo &c. nisi velint (inquit) eos dixisse
pugnantia asserere. Hoc. n. nos asserturos Latomus non
præsumit, certus quod prophetæ nō sumus, itaq; cantat
io Pean io Pean, vae victis. Sed nos interim, dū ipsi pa-
tres (q̄s prius cōtempserunt) legerūt, ociosi nō fuimus,
inuenimusq; eos sæpissime fuisse homīes, errasse, pugnā-
tia dixisse, dormitasse, vt hec etiā ouatio Latomiana sup
arenā nitat̄, ruitura simul atq; librū eius aggressus fuero.

Vltimo prægustum libelli sui propinat, propinator
vrbanissimus, & aliquot meos articulos opponi dicit
principiis fidei. Bibamus & nos post eū hunc elegantē
prægustū, videbis, quæ sint Louanii principia fidei. Pri-
mus est, Deus præcepit impossibilia, hunc sic tractat vir
honestus & rectus, vt respirationē neget mihi, etiā adie-
cta particula, Nobis, seu, citra gratiā dei, quā nō diffiteē
in meis libellis additam. Querimus autē, quod sit istud
tam rigidū & inclemens principiū fidei quod neget, no-
bis, id est, viribus nostris, citra gratiam, esse mandata
dei impossibilia. An Paulus? An Christus? An Mo-
ses hoc condidit? Non, sed decretellum quoddam hu-
manum, e Hieronymo sumptū, quod est huiusmodi.

Qui dixerit deum præcepisse impossilia, anathema sit. Hoc verbū hominis ambigū & obscurum, sic iactatur a Sophistis, vt omnibus sensibus clausis, nō nisi vociferentur, Anathema, anathema, anathema, vt eos furere ipsa voce iudices. Huic verbo humano cedere oportet et silere, quicquid scripturæ euentissimæ & clarissimæ, & copiosissimæ controuertunt, ne syllabā quidē gloriæ lucidantis, tam tenerū decretellum admittit, sed rigidissimū vt sonat, iactari, omniū auribus obtrudi, omnium cordibus inculcari oportet, periculo maximo fidei & cognoscendæ gratiæ dei, nulla causa, quā quia humanitus statutū, & Magistri nostri secundū ipsum iudicare solent tanquā regulam infallibilem. Nam liberū arbitriū non parū viriū ab hoc decretello concepit.

Deniq; hoc principiū fidei tam insolens est & ambiciosum ceu Romulus quidā, qui sociū suum, ac fratrem Remū non sinat cōmuni imperio regnare. Est enim & aliud decretū satis piū, iuxta hoc scandalū positū, quod sic habet, Qui dixerit nos posse mandata dei implere, absq; gratia dei anathema sit. Hoc infelix decretū, nemi nē habet qui iactet, extollat, inculcet, obtrudat, sed fratri suo (vt dixi) regnū cedere cogit. Hoc nō est principiū fidei, secundum hoc Magistri nostri nihil iudicant neq; damnant. Cur hoc? q̄a nimis est diuinū, & oīa ferme Magistrorū scripta huic aduersant. Insuper vide magistrorū nostrorū insignem æquitatem, cum non satis esset, latere hoc miserū decretū, adiecerunt, vt pingui glo

sa etiã euiscerarent, & extinguere, dicentes, Mandata dei implentur dupliciter, vno modo secundũ substantiã factorum, alio modo secundũ intentionem præcipiẽtis. Hoc inuento effugio, hui quã pulchre eluserunt veritatem. Nam hinc gratia nõ opus esse duxerunt ad implenda mandata dei, sed ad implendã intentionem dei vltra mandata exactã. Scilicet deus iniquus exactor, nõ est cõtentus impleri mandata, sed exigit in gratia impleri vt gratia sit non gratia sed exactio quædam. Nempe legi dei satisfecit liberũ arbitriũ & deus in hoc non est cõtentus, quæ est sententia omniũ impiũssima & sacrilegissima. Sed (vt dixi) sic agitur cũ misero isto decreto. At illud prius, si velis industria pietatis sic moderari, vt impossibile etiã dupliciter caperetur vel in gratia vel extra gratiã. Hic manibus, ferro & igne obsistunt, necq; tãgere sinunt, sed vt vt sonat, nisi confitearis exclamant, Hæreticus, Hæreticus, Hæreticus, quia decreta patrum negat, nõ credit Ecclesiam sanctam, nõ tenet principia fidei. Obsecro quid hic facias aliud, quã genimina ista viperarũ, igni suo inextinguibili sinas parari? An dubitare potes, hunc sophisticũ cetum synagogam esse Sathanæ? Vide quã mihi obiectet vesica ista Latomiana cũ fiducia eiusmodi decretũ, & quã magistraliter nostraliterq; taceat illud alterũ. Nempe, qd' illudere auribus orbis voluerit, tantũ ne Louaniẽ impie egisse inuenirent.

Amplius vero, Huic impiæ & sacrilegæ glossæ vide quantũ tribuerint. Docent, per opera secundũ substantiã

tiam facti tantū effici posse, si ex totis naturalibus viribus fiant, vt deus illis necessario & infallibiliter gratiā largiā. Hoc est, facere, qđ in se est, cū Paulus & post eū August. tantis tonitruis insonēt, hominē sine gratia, per legē non nisi peiorē fieri. Quod lex irā operet, & intrauerit, vt abundaret peccatū, ita vt huius sentē. iæ sacrilegio vniuersum nouū testamentū euacuauerint, & eo nos in foelices nomine tenus, Christianos pduxerint, vt Christo prorsus nullo vsu sit opus, nisi vt doceat nos solum. Nā vt de fide informi, acquisita, generali & speciali, itidē principiis fidei illorū hic nugent, quid opus est referre factū tandē, vt & si impossibile sit mandata dei impleri sine gratia, quo ad intentionē præcipiētis, tamē in manu tua & prorsus facile est gratiā consequi, operibus secundū substantiā facti paratis, vt iā liberū arbitriū nō modo regnet in operibus substantiæ, sed in ipsa etiā intentione præcipiētis, hoc est, plane in ipsa gratia dei, nempe in manu eius est, gratiā venire vel nō venire. Hinc bona moralia, bona neutralia, & quid dicā: tot principia fidei isti habent, quot patrū dicta, quot Cōciliorū decreta, qđ Papæ placita, quot Magistrorū nostraliū sentimēta, vt mundū cernas periisse diluuiū quodā principiorū duntaxat fidei, tum quę putes erūt sequelæ & cōclusiones eorū. Et cū ista sit septies sacrilega Theologia recentiorū, vt nemo possit negare, adhuc audet os istud Louaniē, impurū & impudens, rostro porrecto, in orbem lallare. Eadē esse docta ab antiquis, quę a recentioribus istis, ad

huc pergit cōcordare vtrorūq; dicta & sentētiās, vt Chri-
stum cū Belial societ, & lucē cū tenebris confundat.

Videamus autē, quāta oracula scripturæ, huic scan-
dalo cedere coacta sint theatrum totum. Paulus Ro. viii.
Nā quod impossibile erat legi, in quo infirmabaſ per
carnē, deus miſit filiū suū in similitudinē carnis, pecca-
ti, & de peccato damnauit peccatum, vt iustificatio legis
impleret in nobis. Hic vides, vt aperto ore affirmet, fu-
iſſe legi impossibile, vt impleret in nobis iustificatio le-
gis, niſi & hic iustificationē legis, intentionē præcipien-
tis eſſe cogas. Quod ſi legi impossibile fuit, quæ in adiu-
toriū data eſt, quāto magis citra adiutoriū legis impossi-
bile, imo adeo impossibile fuit, vt adiutoriū legis magis
obſuerit. Dicit. n. in eo impossibili legē infirmatā, id eſt,
nō impletā, propter carnē peccati, aut & hic nō impletā
dicent ſecundū intentionē præcipiētis, at tum nō culpa car-
nis, per quā dicit nō impletā legem, ſed dei intendentis
eſt, qui nō contentus impletā eſſe, exigit gratiā, & ſic per
carnē lex bene firmat, ſed per intentionē præcipientis in-
firmat. O blasphemās voces & rabidas. Sed vt dixi, hāc
diuinā vocem Pauli oportuit inter blattas & cariem cō-
ticeſcere, ne non regnaret decretū illud principium fidei.
Sic Act. xv. Per hunc vobis remiſſio peccatorum annū-
ciatur ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege Moſi
iustificari, in hoc omnis qui credit iustificat. Nō habuit
Apoſtolus græce linguæ peritiā tantam, vt diceret, quibus
difficile fuit iustificari, vt impossibile aſſerere cogeretur?

Item Act. xv. Petrus dicit. Hoc est onus quod nec nos, nec patres nostri portare potuerunt. Quid dicis Petre? Non potuerunt portare? nonne portauerunt secundum substantiã facti? nonne circumcisi sunt, sacrificauerunt, & omnia illa seruauerunt? Tu, video, ignoras principia fidei & multis modis delyras a Louaniẽ Theologia. At dicet hic Latomus, de circumcissione loquitur Petrus, vt ex capitis principio patet. At non potuerunt portare circumcissionem? imo de lege Mosi loquitur. Sic. n. paulo ante scribitur. Surrexerunt autẽ quidã de hæresi pharisæorũ qui crediderant, dicentes, Oportet circumcidi eos, præcipue quoq; seruare legẽ Mosi. Ecce onus quod Petrus impossibile dicit. Quid autẽ definit tandẽ? sed per gratiam (inquit) domini nostri Iesu Christi, credimus saluari, quemadmodũ & illi. Et nõ habes Petre substantiã factorum, quæ portet onus & gratiam cogat adesse?

Omitto ea quæ ad Hebræos, nõ vno loco de impossibilitate ista loquitur. Christus quoq; Matt. xix. vbi dixisset facilius esse, vt Camelus transeat per foramen acus, quã vt diues intret in regnũ coelorum. Et discipuli stupentes, impossibilem esse salutẽ, dicerent. Et quis potest saluus fieri? Ipse ignarus huius principii fidei, nõ negauit imo affirmauit impossibile istud salutis, nec mutauit in difficile. Sed sic ait, Impossibile est apud homines, sed apud deũ omnia sunt possibilis, hoc em̃ non tantũ de diuite dixit, sed ad illud respondit, Quis potest saluus fieri? Proinde cũ in nouo testamento proprie regnare deũ

A D V E R S V S L A T O M V M.

beat ministeriū spiritus, id est, prædicatio gratiæ, vt Apostolus ait, optandū fuit, vt hoc verbū aut Hierony. nunquā dixisset, aut in tenebris sepultū mansisset. Christianis em̄ non cōuenit nisi gloriā dei prædicare & confiteri, id est, nostrā impossibilitatē & dei possibilitatē, vt Christus hic dicit, omniaq; scandala submouenda sunt, quæ lib. arb. erigere aut inflare possent, quale est hoc decretellū vel inter prima, vt pura gratiæ dei, & nostræ miseræ cognitio custodiretur.

Sed mouit forte hominē, quod dixi, nō om̄ia dei m̄adata, etiā in gratia, plene impleri in hac vita. Quæ non mea, sed Aug. sententia est. i. retra. xix. de qua infra videbimus. Sed qui dixi nō fieri, nō negaui posse fieri, & sophista iste magnificus nō tantū de logica sua didicit, vt sciret, aliud esse nō fieri, aliud nō posse fieri. Ego dixi, nō fit, ille infert ergo dixisti, non potest fieri. Quis dubitat, deū posse tantā gratiā alicui dare, vt plene impleat, sicut de Beata virgine sentimus: licet id nō faciat omnibus. Quod si decretellū huic repugnat, abeat in malam crucem & sit anathema. Sed & alio suo vitio hic laborat q̄ nūq; nō laborant sophistæ, quod est petitio principii, quod est viciolissimū disputandi genus, in quo & totus hic liber Latomi sophisticat̄. Perpetua scilicet est insania sophistarū, vt id quod ante omnia eis probandū demonstrandūq; est, arripiāt & præsupponāt, tanq; principiū fidei infallibile, vt hoc loco. Quod implere dei mandata plene, significet id, quod est mandatis dei satisfacere per

D

omnia, vt ignosci nihil sit opus, imprimis fuit Latomo demonstrandū. Nā hoc Aug. & ego negamus & scriptura negat. At ipse nihil moratus, proruit securus quasi principiū indemonstrabile fidei habeat, & dum gladio spiritus sese vastare omnia credit, ridiculus culmis & stipulis opinionis suæ corā nobis ludit. Nam nec decretellum eius hanc sententiā habet, cū nos dicamus omnia dei mandata impleri, nō operantibus plene nobis, sed ignoscente copiose gratia dei. Hic nihil impossibile, imo plenissima omnia, & melius dicimus, q̄ si sine misericordia ignoscēte, solis operibus impleri oīa assereremus. Et probandū illi (vt dixi) fuit, suū impossibile, id significare, qđ ipse cogitat, sed & ipsi cōfitem̄ in hac vita, nulli gratiā cōsumatā dari, sed semp̄ augeri, cū tamē gratia nō det̄, nisi ad implēda dei mādata, & hinc sequat̄, tantū nō impleri ea, quantū nō consumat̄ gratia, sed quia Magistri nostrales hoc dicunt, ideo nō est damnabile, Si Lutherus diceret, error esset.

Alius articulus, Peccatū post baptismū remanet. Hūc arti. dānat autoritate Greg. quē ego probauī autoritate Pauli Ro. vii. sed principiū ille petitor viciosus illic peccatū nō peccatū, sed infirmitatē exponit, quasi euicerit sic exponendū esse, aut quasi Paulus ignorarit qbus verbis loqui oportuerit, aut mihi nō liceat illius verbis vti. Videamus Gregorii p̄bationē. ait, Christus dicit, Qui lotus est, mundus est totus, Nihil ergo remanet de peccati sui cōtagiōe, quē totū mūdū fatet̄, ipsi q̄ redemit, Latomi

oscitantia p̄tereo, q̄ se p̄oderare nō numerare, p̄misit testimonia, id est, sophistica strophā loquēdo nō p̄oderare sed numerare voluit. Cū Greg. ex postulo. Dic Gregori, vbi Ch̄rus hoc dicit, qđ tu dicis? Nōne verba Ch̄ri suo textu afferre debebas? Tu dicis, Qui lotus est mūdus est totus, Christus vero sic dicit, Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mūdus totus. Vnde ista immūdia pedū post lotionē? Nōne totū mūdū sic asserit vt tñ lauari pedes opus habeat? Quid est hoc aliud q̄ peccatū in baptismo totū ignosci, & tamē reliquū esse, vt & Paulus dicit Ro. vii? Tota vita pedes lauant, etiā iis qui totī mundi sunt, sicut dicit, Debetis alter alterius lauare pedes. Nōne hic locus, p̄ me cōtra Latomū facit? omnia peccata sunt abluta & reliquū est lauandū. Stat clara sentētia. Quō ergo oīa abluta, nisi quia p̄ gratiā remissa & indulta? Quō lauandū, nisi quia vere in natura sua reliquū est? De iis postea, nā hic Latomo fiducia tollenda fuit, vt videret, patres nōnūquā fuisse hoīes, deinde & viciosissimū disputādi sui morē agnosceret, quē dixi, petitionē principii, Qui prius p̄bare debuit, totū esse mūdū id esse, qđ nihil reliquū peccati baptismo. Nec Greg. verba id cogūt, aut si cogūt, negāda sunt, at ipsi patrū verbis intruso suo sentimēto, p̄deūt sicut asinus sub pelle leonis, facturi nobis principia fidei, nō ex patrū sentētia, sed ex sua p̄pria, verbis patrū imposta, subdoli istī opariū.

Tertius, Nō omnia mortalia esse sacerdoti cōsitenda. Hunc dānatū dicit generali Cōcilio, ergo est damnatus,

tenet cōsequētia, a Latomo ad suū sapientē. Quā autem scripturā pro se habent? Conciliū. ¶ si Conciliū sine scriptura valet, & satis est infultos & rasos illic congregari. Cur nō lignea & lapidea signa e templis congregamus, & impositis mitris & infulis, dicamus illic Conciliū esse generale? Nōne vitiosissimū est, Concilium sine verbo dei agere aut statuere? Verū ego nunc amplius dico, & nego confessionē exigendam esse in totū, edito in hoc ipsum vernaculo libro, facturus idē latino, vbi tempus fauerit. Traditiones, n. hominū abolendę sunt de Ecclesia, quas & Latomus p homines tolli posse affirmat in suo dialogo, at ista cōfessio aliud non est, quā tyrannica exactio pontificū, nullis radicibus scripturæ nixa.

Ultimus, Omne opus bonū in sanctis viatoribus esse peccatū. Hui quā absurdū hunc facit, & videt tanto viro directe contra illud symboli, Qui bona egerūt, ibunt in vitā aeternā. Hic vero triumphat serio, vt pudendū esse iactet, rationē ab eis petere in huiusmodi. Denicq; minatur etiā ferox ille, ne qs mihi se sociū faciat. Sic & Iudæi corā Pilato, Si nō esset hic malefactor, nō tibi tradidissemus eum. Vere stulti & pudendi mortales, q Magistris nostralibus Louaniēn, nō solo nutu crediderunt, quasi ii sint, qui aut male velle, aut errare possint, sicut cæteri hominū, præsertim cū & Bullarū Episcopus eorū factum cōprobauit, Bulla scilicet bullas. Sed vide nequitia hominis, qui nusquā nō interpretatur peccatū (de quo ego in opere bono loquor) esse illud quod damnabile vocant,

A D V E R S V S L A T O M V M.

hocem solū est cōtra illud, Qui bona egerūt ibunt in vi-
 tā æternam. Nā ipsimet cōcedunt, opus bonū in quo ve-
 niale sit peccatū, non esse cōtra symbolū illud. Iam etiā
 hoc asserunt qđ Gerson dicit, Nullū veniale peccatum
 esse natura veniale, & plures gratias dei priuatiuas quā
 positiuas esse, sola autē misericordia dei esse veniale. Et
 quod mireris Latomus primū nō negat, in omni opere
 bono esse posse peccatū veniale, vtpote negligentia, & ta-
 men nō est absurdum illis sic posuisse peccatū in opere
 bono, nec est cōtra symbolum, nulla causa, quā quia ego
 nō dixi, & illi dixerunt. Sed & hoc infra eos cogam &
 forte proni cōcedunt, Incertū esse, an vllum opus sit om-
 niū hominū, quantūlibet bonū, sine peccato, neq; enim
 hominū vllum cogent, hoc de suo opere bono affirma-
 re. Et ecce, quod incertū est, tamē esse potest, & forte ita
 est etiā eorū sententia, ab alio dictū, absurdum & cōtra
 symbolū est, vt nihil absurdius dici velint. Nā hoc incer-
 tum cogit eos oppositū non asserere, quare nec propo-
 sitū negare aut damnare. Nā quæ inducit dicta patrū, pe-
 titor principii eo trahit omnia, quo nō probat illa perti-
 nere, scilicet qđ nullum sit in opere peccatū, quantūlibet
 illi dicant esse bona, nō damnare &c. Nihil em̄ horum
 & ego nego. Sed breuiter hęc præfationē Latomi lector
 vice *εἰκόνας* sophisticę habeas. Hic. n. vides sophisticę ima-
 ginē egregie descriptā. Quę est, vultu & verbis modestiā
 simulare, cæterū tanto fastu, arrogātia, superbia, mali-
 tia, nequitia, temeritate, supercilio, inscitia, hebetudine
 tumere, vt nihil supra.

D iij.